IN FOELICISSIMVM SERENISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS, IACOBI primi, Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hyberniæ *Regis, Fidei orthodoxæ Defenſoris,* ad Anglicanæ Reip. gubernacula Ingreſſum, Poema Gratulatorium.



NOSTRA, EADEM ſemper fuerat, ſit NOSTER & IDEM:
ANGLIA ſic FOELIX vt FVIT, EST, & ERIT.

LONDINI,
Excudebat *Richardus Field,* impenſis *Gulielmi Ihones* Typographi. 1603.

miſerecordiâ, fauſtâ ſemper pace ſoſpitet, & vnâ cum incorruptâ Euangelij puritate, feſtiſſimam admirandæ Liberationis *noſtræ memoriam celebritatemq́ per omnem Britannorũ poſteritatem ad vltimam ſæculorum periodum tranſmitti patiatur.*

Grata Deo, ac Regi, nulliq; lubentiùs vnquam
Reſponſura ſono Britonum gens accinat AMEN.
Et reboaturis geminetur vocibus

AMEN.

1070.c.18
3

REGI SVO,

POST BIS SEPTEN-
nium in Patriam ex An-
gliâ redeunti, Scotiæ
Gratulatio.

Hume (D.) of Godscroft
K.

EDINBVRGI,
Excudebat Andreas Hart, 1617.

Ad Regem.

Non potui mihi temperare, quin Muſam ſemper tenuem, nunc effœtam ſuſcitarem; quæ ſalutem, adventanti tibi, diceret, rarum patriæ, rarum orbis lumen: & hunc Scotiæ (ſane tua) animum teſtaretur. Dabunt alii meliora, & danto: meliori animo nemo.

Tuæ Majeſt. Subd. Obſ.

DAVID HVMIVS,

THEAGRIVS.

REGI SVO,
SCOTIÆ GRATVLATIO.

ERgo ades (ô!) tandē, remoras & diſpulit omnes
Expectatus amor patriæ, nec vota, preceſque
Incaſſum cecidere meæ: nec, quæ irrita pro te
Multa gemens, ternis, duxi ſuſpiria, luſtris:
Ex quo, trans Tameſin, Caledonis, lētus, ab oris
Natus abes, matri dilectus, pignora ſupra
Quot dederam, dum mater eram: Te flumina noſtra,
Te liquidi fontes, & triſti murmure ſyluæ,
Et riguæ lachrymis valles, nemoroſaque montes
Culmina, Te mœſtis ſuſpiravere cavernis
Tot luſtra. At jam Tueda pater, iam flumine Fortha
Excipit, & montes Loumundi, & regia celſis
Regibus, & regnis fœlix Falclandia: mox iam
Occellique iuga, & Sterlini ingentia fidi
Mœnia, reptatumque ſolum, & vagitibus æther
Pulſatus, cuniſque tuis. Stat turribus altas
Oſtentans pinnas, & collibus omnibus vnum
Eminet Edinum: & celſi faſtigia ſceptri
Vendicat, imperio locus æmulus, vt reducem te
Iam gaudent, vultumque & amatum, & amore verendum
Feſtinant vidiſſe tuum. Iam flumina noſtra,
Iam liquidi fontes, & læto carmine ſylvæ,
Et reſonæ cantu valles, nemoroſaque montes
Culmina, iam lætos tollunt ad ſydera plauſus.
Et Regem ſalvere iubent, & grata benignum,

Ac memorem agnoſcunt, lati, tanta æquora, campi,
Tam longum qui emenſus iter, ſe cernere, tantus
Veniſti, & veras, aluiſti in pectore, flammas:
O ſi magnorum, priſco quos tempore, vatum,
Te dignos enixa fui, nunc afforet vllus,
Aptis æquaret numeris qui grandia rerum,
Grandia qui dulci, molliret carmina, melle,
Quas grates, quæ vota tibi, quo carmine laudes
Cantarent meritas: Nunc tecum in proxima regna
Quum tuleris Muſas, facilis cape, Non quod Apollo,
Sed quod dictat amor, Patriæque, Deique, Tuique
Verus amor, primis cunarum cæptus in annis,
Nunc quoque, ſub ſeræ, perdurans, tempora vitæ,
Non dente ævi vllo, non terræ tractibus ullis,
Invidiave vlla, vel detractoris iniqui
Carpendus ſermone ullo, aut rumore ſiniſtro.
Ingens Ferguſii, primus qui Scotica ſceptra
Fundavit, ſoboles ſexta, & centeſima, regnis
Felix iluceſce tuis, parilique vigore
Fortunaque pari, regnum fundato *BRITANNVM*,
Atque pari fato regnum firmato *BRITANNVM:*
Et firmum in ſeros totidem tranſmitte nepotes,
Quot magnos numeras atavos, ni machina mundi
Præveniens, vaſto vertat regna omnia lapſu.
Ingens *BRVSIADE*, ſolus qui Scotica ſceptra
Reſtituitque ſuis natalibus, inque nepotes
(Parva habita, haud parvis, olim fundamina, rebus)
Tranſtulit: Huc ades, & patrios agnoſce penates,
FATALIS ſoboles, *FATALI* ab origine, *NONA*,
Debita tot regnis, *SCOTO*, *ANGLO*, *FRANCO* & *HIBERNO*
Quaque rigat *TIBERIS*, & qua Iordanis inundat:
Quanquam animos imples tanto molimine, quanquam
Fata implens, hominum ſpes, & vota omnia vincas.

Ingens BANCHONIS ſoboles, natique FLEANCHI,
Unde STVARTA domus, tot, regni ſceptra, per annos,
Molitur, Priſco BRITONI genus, & genus ANGLO,
NORMANNO, & FRANCO, & DANO, HISPANO, atque ALIMANNO,
Regibus, imperio, & ducibus permiſta, nec vlli
Extera, quot jactat proceres, ingentibus vſqum
Fœta viris Europa, & rerum admovit habenis.
At *PATRIA* hæc, *NATVM* hæc teſuſcipit, hæcq. *PAREN*- (*TEM*
Suſpicit, atque amat, atque colit, *PROLEMq; PATREMq;*:
Atque polum votis, pro *PROLE*, & *PATRE* fatigat.
Atqui hæc inter tot diademata celſa, corollam
Annumerare tuis titulis fas ducis: & vnam
Privatam (verum magnis de regibus ortam,
Regibus affinem magnis, regumque gerentem
Sæpe vicem, bellique, domique, & (quod ſatis vnum eſt)
Gignentem celſum, generoſo ſemine, regem.
REGEM, quo tellus majorem non videt, vnus
Qui *TERNA*, imperii, tractas ſceptra Alma, Britanni)
DOVGLASIAM, ANGVSIAMQVE domum: virtute ſecundam
Haud vlli, quos Priſca aut Roma, aut Græcia jactat:
Seu numero Heroum, ſeu robore mentis, & armis
Sive fide in patriam: ſceptrorum vt millia, ſceptris,
Accumuleſque tuis, numereſque in ſtemmate Reges,
Latus quotcunque orbis habet: non vltima laus hæc,
Tam dignis, etiam duxiſſe Heroibus, ortum.
Atque hæc, majorum, ſunt nomina celſa, tuorum.
Sed quis priva, tuæ, libet præconia, laudis?
Orbis opes, & deliciæ, REX Maxime, Regum
Miraclum: Regnis privata, & regia miſcens
Privatis decora, & Muſas diademate adornans,
Et Muſis diadema, altum, almis, aureum, amœnis
Utile, jucundis, humanum divite vena
Divini ingenii, ſupra humana omnia longe

Surgentis, quam nulla induſtria, non labor vllus,
Diſcentiſve, aut monſtrantis prudentia ſolers
Contulerit: datur hæc artes, divinitus, inter
Vna omnes: At nec divis datur omnibus, vni
Regum ſed donata tibi: quid Livida fruſtra
Invideas turba? & quocunque in nomine carpas.
Nec minus hoc privum eſt, rarum per ſæcula, cunctis
Miraclum terris, Tu qui bello quatere orbem
(Armiſque, animiſque potens, terraque, marique)
Poſſes, vicinaſque ciere in prœlia gentes,
Pacis amans, colis almam, & pacis dicier author
Eligis, ac populos in bella cruenta ruentes,
Germanos Galloſque, Italos, Batavoſque & Iberos
Compoſitis, frœnas, odiis, geſtiſque beatus
Sic dici, ſic eſſe haud falſo nomine geſtis
ARBITER Europæ, perque Europam ARBITER orbis.
Nec minus hoc mirum eſt (mirari vt deſinat auris
Aſſueta, atque oculi) quod tot Caledonis in oras
Anglorum ducens turmas, pacem tamen vna
Ducis, & innocuas das fœdere iungere dextras.
Salvete, O vere FRATRES, quos Rhenus, & ipſi
Agnoſcunt *Batavi*, vos *Tueda*, & *Forthæ*, *Tauſque*,
Scotia vos omnis, cognata hac voce, ſalutat.
Eſte boni, vultuſque, & amicas ſumite mentes,
Communemque patrem communi adducite cura,
Communemque Deum, & communia fœdera, & ipſam
Communem matrem, terram memorate BRITANNAM.
Nullæ hic inſidiæ, veracibus omnia aperta
Sunt Scotis: faſtus, abſitque injuria verbis,
Non mage ſecuri TAMESIS degatis ad vndas.
Creſcit opus minuendo: ſolo defunctus in aſtra
Perferor: *O Cæli Soboles*, gratiſſima cœlo,
Et cœlo defenſa, & adaucta, altoque locata

Regnorum in ſolio; & cœleſti rore rigata
Doctrinæ, eloquiique; vnde aurea vena liquente
Melle fluit dulci demulcens pectora; & vnde
Fulmina, Tarpeias, olim quaſſantia, turres,
Telaque, cœleſti vibrata à robore, torques;
Æquatura ſolo, quicquid cœlo obſtitit alto.
Cœli cura; ſolo donec cœleſtia tractas
Hoſpes adhuc: idem hoſpitio cum liber ab iſto,
(Carcere, ſeu mavis) patrium conſcendis Olympum.
Incola tum cœli; cœlo regna altera (tanto
Te major, quanto terris cœli ardua) ſume.
Interea, Cœli Domino tua militet omnis
Cura, manuſque Iacobe; ingente ingentior omni,
Tamque bono melior, quam qui tibi ſceptra, decuſque
Conciliat Sceptris, Tu rurſus ſceptra, decuſque
Imperiumque illi, mentemque, manumque dicaris:
Quam decus hoc vnum ducas, quam gloriam ab vno hoc
Surgere fonte putes. Sic magnus, cætera calca
Sub pedibus; Sceptra illa tua, ac diademata, & ipſos
Fergvsivm, Brvsivmq́; & cũ Banchone Flbanchvm,
Atque Stvartorvm genus, & tot ſtemmata Regum,
Et laudes quaſcunque tuas, ſeu ſorte datas, ſeu
Ingenio, geniove, animove, aut corpore dotes.
Hoc mihi cœleſti nutritus nectare, quondam
Hauſta tibi hæc pietas, cum lacte infixa medullis
Inſedit, ſedeatque omnes menſura per annos.
Hac, tua te Genetrix, iterata voce, ſaluto:
Hac te (Nata) colo. Roſeo, mox nectar, ab ore
Stillans læta legam; labriſque (ô!) oſcula labris
Surripiam; & tenero circum-dabo brachia collo.
Aut hoc ſi nimium eſt, imis do baſia plantis
Et longe retro venerans, veſtigia lambam.
Vive Diu, Prolesqve, Paterqve, mihique, Deoque;

Atque orbi, prudenſque piuſque, & magnus & ipſo
Te major: cœli quum expleris munera, cœlo
Inſerere; & vere Rex cuncta in Sæcula Regna.

AD EVNDEM.

HUmia gens, Anglis occurrere ſueta ſub armis,
Et facere, atque pati fortia, docta manus.
Cur nunc pacatas? dextras cur jungit inermes?
Quos ſolita eſt haſtis, excipit hoſpitio,
Hæc tua, Pax Mvndi, bonitas miranda Britannis,
Poſt hunc, Pax Mundi, ſors, Iacobe, tua eſt.

AD EVNDEM.

PRima, tui quondam, fida & cuſtodia regni
Humia gens, belli, principiumque tui.
Nunc ſum principium pacis, quique agmina ſuevi
Ducere; lætantes ducimus ecce choros.
Quique horrentem haſtis Scotorum, in prœlia, turmam;
Horrida, cumque Anglo, jungere bella, fero.
Mentiar; aut nullis horrendam ducimus Anglam,
Iudice te; vultum reſpice, ſive animum.
Nec fera miſcemus, truculento, prœlia, Marte:
Sed colimus, caſti, fœdera ſancta, thori.
Hinc ſurgunt mihi ſtructa palatia, diruit Angla
Quæ quondam, melior jam ſtruit Angla manus:
Hinc quam fauſta tibi procederet vnio, ſi ſic
Exemplo, ſaperes inſula tota, meo.

David Humius

Scoto-Britannvs.

DEXTRÆ OSCVLA.

QUod ſe effuſa tuæ dextræ implicat, oſcula libat
Scotia, in amplexus fœmina virque ruit:
Hæret, & avelli nequit: & rurſum oſcula iungit,
Et rurſum inque manus proruit inque pedes:
Hoc omnis ſexuſque, ætaſque, hominum hoc genus omne,
Oppida ſive colat, ſeu colat arva, facit.
Quid niſi amor, pietaſque, in te Regemque, Patremque?
Quid niſi devoti pignora certa animi?
Et tua quod facilem populo ſe præbet amanti
Dextera, qua populus baſia libet, amans:
Quid niſi amor tuus eſt? dulce hoc certamen amoris,
Tune illum melius, tene amet ille magis.
Non apicem imperii minuis ſic; neſciit vſquam
Qui credat, verum qua cluat imperium.
Cætera ducuntur vinctis animantia collis,
Et præbent ſtimulis tergora, & ora lupis.
Aſt homini vinclum, cor: corde is ducitur uno:
Præcipue priſcam qui Caledona colunt.
Hos collo quiſquis conetur ducere: collum
Seu ſibi, ſive illis ruperit ille prius.
Nec tamen hoc facile eſt; quiſquis tentavit, inanem
Vim ſenſit, caſu vel luit ipſe ſuo.
At tu corda tenes Rex, fœlix uſque tenebis:
Sic regis, ingenio ſi fruerisque tuo.
Prudens perge *IACOBE*, & amari, & mitis amorem
Teſtari, imperii vincula vera pii.

TARDA IMPRESSIO.

PRIMVS ego in Patriam reduci, Tuedæ oſtia propter
Prima tibi à Muſis munera grata dedi:
Primitias Patriæ *Primas* gratantis, & auræ
Tot laudum, quot adhuc Scotia tota canit.
Prima vbi pacatas duxit gens Humia turmas,
Crevit ubi exemplis *Vnio Prima* piis.
Idem inter *Primos* tantæ natalia famæ,
Et cecini vitæ limina *Prima* tuæ:
(Ipſe licet *Primis* tunc vixdum egreſſus ab annis)
Et *Prima* auſpiciis ſceptra Britanna tuis.
Vltimus edo tamen, ſeu ſors ea, ſeu fuit omen,
Et nimium genio fata ſiniſtra meo:
Ut qui *Primus* amore ſiem, tamen ultimus eſſe
Re merear, nullo forſan & eſſe loco.
Quicquid id eſt, capito hæc, *Prima-ultima* carmina: ſemper
Voto animo, obſequio *PRIME IACOBE* meo.

DIFFICILIS EXHIBITIO.

HÆc tibi Barvicũ, Dunglaſſum hæc, miſſa Setonum hæc
Carmina, Kinnardum hæc deſtino metra tibi:
Hæc eadem Edinum venienti, abeunti, adeunti,
Atque manenti iterum, jamque abeunti iterum:
Idibus hæc Maii, Iuni, Noniſque, Kalendiſque,
Ora quibus fratri Luna dat, abdit, abit:
Et primo, medioque die, Iejunia frangas,
Seu ſomnos, quum te prandia, cœna vocat:
Scripta, & reſcripta, & vix tandem excuſa: ſerenos
Vix tamen eſt vultus aſpicere illa tuos.

Sic, tibi quæ quondam puero, puer ipſe, Iuventâ
Quæ primâ, mediâ, virque, ſenexque cano,
Sterlini, Edini, Londini ad mœnia magni,
Anglia quando aditu, Scotia quando abitu
Indoluit, mœſta, & gaviſa eſt læta, gementi
Condoleoque illi, gratulor atque tibi.
Nil queror: hoc voluere, hoc volvunt, atque revolvunt,
Dextera ſeu fata hæc, ſive ſiniſtra voces.
Ingenii verum ſpecimen referentia: quo te
Præſentem, abſentem proſequor, ardeo, amo:
Atque loco hoc omni, ſorte omni, tempore in omni,
Poſt, tibi culta eadem, numina magna, colo.
Hæc mihi, adhuc vivo, mentem teſtantia: functo
Hæc eadem mentis ſint monumenta meæ.

FINIS.